

(5) Et insuper ordinamus et volumus, ut tota terra de Pontepayle cum Montefortino libere dimittatur domino pape usque Ceperanum, et quod ecclesia Romana habeat Montem Flasconem cum omnibus pertinentiis suis.

(6) Insuper precipimus Marcualdo senescalco nostro, ut ducatum Ravenne, terram Bructenorie et marchiam Ancone recipiat a domino papa et Romana ecclesia et recognoscat etiam ab eis Medisinam et Argelatam cum earum pertinentiis, de quibus omnibus bonis securitatem ei iuret et fidelitatem faciat sicut domino suo. In morte vero sua, si sine herede decesserit, ducatus Ravenne, terra Bructenorie et marchia Ancone, Medisina et Argelata cum earum pertinentiis in dominio ecclesie Romane remaneant.